



1772.

35. Schott, Augustus Fredericus : De privilegiis civitatum
in subditis temporariis.
36. Schott, Augustus Fredericus : De vita et constitutione
nobis D. Perkinacis
37. Schott, Augustus Fredericus : Vera causa praeroga-
tive hypothecae fidei in bonis a debitore post con-
tractum aquirentis. ad l. 28 D. de jure fidei.
38. Tegerus, Joh. Theophilus : De pignoratibus lacte
contractis
39. Hieslitz, Christian Ludovicus, fac. jur. praeceptor
Carius : De executione rei iudicatae in causis
ecclesiasticis. Programma, quo solemnitas doctoralis
Augustini Frederici Mulleri a Berneck insert.
40. Treitschke, Conradus Fredericus : De jure prae-
cipuum divortio proposito.
41. Wenck, Fredericus Augustus Guilielmus : De conce-
ssione indignitatis in imperio Romano Germanico.
Programma, quo ad orationem arbitalem invitatur.

1772.

42. Wilke, David Gottfried Hegedius: *Observationes
juris ecclesiastici.*
43. Wilke, David Gottfried Hegedius: *De jure
retractus domini feudi competente.*
44. Wilke, David Gottfried Hegedius: *De solemnibus
judicibus competentibus decreto in alienandis rebus
minoribus necessario.*
45. ~~Wilke, David Gottfried Hegedius: *De solemnibus
judicibus competentibus decreto in alienandis rebus
minoribus necessario.*~~
- Winckler, Cornelius Gottfried, p. p. p. praecellens:
Innes criminalis corollarium III et
IV. Programma, quo solemniter doctoratus Caroli
Augusti Compositi in D'cat.
46. Walle, Christophorus Fridericus: *Archaeologiae
juridicae specimen.*

1772.

47. Zollerus, Frid. Guilielmus: Sponsalia clandestina delictum maxime ex statuto Andiseuri existens.
48. Zollerus, Frid. Guilielmus: De eo, quot justum est circa pacta successoria renunciativa eorumque effectum.
49. Zollerus, Frid. Guilielmus: De beneficio divisionis correis debendi non tributo.
50. Zollerus, Frid. Guilielmus: Utrum fortuna penitus abroganda, an tantum limitanda videatur?
51. Zollerus, Frid. Guilielmus: De censura creditoris in ulteriorem oppignorationem feudi, remunerationem pigoris non inveniende.
52. Zollerus, Frid. Guilielmus: Observationes singulares ad pand. lib I 47 8 et 48 II. tit. 1.

[Faint, illegible handwriting, likely bleed-through from the reverse side of the page.]







18
9. 70. nlm. 3
1772, 35

DISSERTATIO
DE
VI LEGVM CIVILIVM IN
SVBDITOS TEMPORARIOS

QVAM
ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS
AVCTORITATE
P R A E S I D E

9. 165.
D. AVGVSTO FRIDERICO SCHOTT
ANTIQVIT. IVR. PROF. PVBL. ET COLLEG. MINOR.
PRINC. SODALI,

H. L. Q. C.

DIE VII. MAII. A. O. R. C M D C C L X X I I
D E F E N D E T

A V C T O R

CAROLVS FRANCISCVS BOESCHEN
M E R S E B V R G E N S I S

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A



DISSERTATIO

VI LEGVM CIVILIVM IN
SVEVITIS TEMPORALIBVS

ILLVSTRIS IVRISCONSVLTVS ET
ACADEMIAE

P R A E S I D E

D. ANTONIO FRIDERICO SCHOTT
AVGVSTVS IVRISCONSVLTVS ET
ACADEMIAE

IN VNIUERSITATE
HALLENSIVM


CLAVDII IVRISCONSVLTVS
ACADEMIAE

MDCCCXXXIII
MDCXXXIII





pecimine studiorum nostrorum rationem publice reddituri, nobis praecipue hoc spectandum esse putauimus, vt in pertractando aliquo argumento verfaremur, quod et ad exercendum ingenium videretur idoneum et ab vtilitate commendationem aliquam petere posset. Quae cum nobis in hac de vi legum ciuillium in subditos temporarios disquisitione deprehendisse videbamus, statim animum ad huius argumenti tractationem appulimus. Quamquam enim argumenti grauitatem et nostro ingenio et aetati parum conuenire videbamus, tamen hac religione a nostro consilio non sumus repulsi. Non quod tanta et tam stulta in nobis sit virium fiducia, vt omnibus numeris absolutam huius tam grauis argumenti tractationem a nobis exhiberi posse putemus, sed quod eiusmodi aliquid neque a nobis neque a nostri instituti ratione expectari censeamus. Subiicimus igitur hanc nostram qualemcunque de vi legum ciuillium in subditos temporarios disquisitionem aequis harum rerum iudiciis, eosque et aetatis nostrae et nostri instituti in ea diiudicanda rationem habituros esse certissime confidimus. In pertractando autem hoc argumento hunc tenebimus ordinem,



nem, vt primum, vnde omne imperium in subditos temporarios oriatur, videamus, deinde regulas quasdam, ex quibus vis legum in subditos temporarios diiudicari debeat, suppeditemus, denique harum regularum vsum in applicandis ad negotia subditorum temporariorum legibus demonstremus.


§. I.

Omne imperium humanum, si imperium parentum in liberos exceperis, ex pacto oritur. Omnes nascimur liberi omnibusque a diuina prouidentia aequalia iura concessa sunt. ^{a)} Si quis itaque hifce suis iuribus aliquo modo in suam totiusque generis humani vtilitatem renuntiasse censendus est, debet id ex eius vel verbis vel factis colligi. Ex quibus patet, imperium ciuile in subditos temporarios ex voluntaria peregrinorum subiectione esse deriuandum. Quae voluntaria subiectio, vnde appareat, videamus. Quamquam peregrini verbis raro, imo fere numquam, se imperio principis, in cuius territorium venerunt, subiiciant, ipso facto tamen hanc voluntariam subiectionem satis declarant. Cum enim omnes principes hoc iure vtantur, vt omnes, qui in ipsorum territoriis versantur, suae potestati subiectos esse velint, quisque, qui sponte se in principis territorium confert, hac lege eo venisse putandus est, sub qua princeps eum recipere voluit. ^{b)} Sed alius petenda est ratio, vnde hoc principum in suis territoriis ius oriatur.

§. II.


a) Quam ob rem sane errare videtur COCCENI in *Diff. de fmdata in territorio potestate* Tit. II. §. I. „Est nimirum, ait, summa et vniuersalis potestas humano generi a natura et rerum arbitrio in ipsam versam vniuersam et in singulos homines in eo existentes primum concessa etc.“ Quis enim hoc in singulos homines imperium vniquam probauit?

b) SCHOENE *Rechtliches Bedenken: ob eines regierenden Herrn Gemahlin seine Unterthanen sey?* §. 19.



§. II.

Principis est gentem, quae se eius imperio, vt commode et secure viuere possent, subiecit, tueri eiusque salutem prospicere. Quaecunq; enim illa sint, quae de origine causisque rerum publicarum disputantur, in eo tamen fere omnes conueniunt, hunc esse rerum publicarum nunc constitutarum finem, certe esse debere. Inde principis oritur potestas intra fines territorii omne id statuendi, quod salutem, cui praeeat, ciuitatis promouendae et prospiciendae utile videtur. Quam ob causam principi liberum esse debet, an et qua lege peregrinos recipere velit, e reipublicae salute constituere atque cauere, vt omnes, qui in territorium, cui imperat, venerint, legibus suis adstringantur et pro subditis temporariis habeantur. Sed princeps hoc cauere non solum potest, sed debet etiam, et tacite hoc cauisse putatur. Cum enim omne id, sine quo rerum publicarum salus sustineri nequit, non ex arbitrio principum pendeat, sed legis naturalis auctoritate nitatur, facile probatum erit, nullam cogitari posse rempublicam, in qua quotidie quamplurimi versentur omnibus legibus ciuilibus soluti nullisque poenis obnoxii. Primum enim, quot quaeeso iniuriis afficerentur ciues? Quanta bellorum persequentium fraudumque praebere materia? Quis legum in securitatem utilitatemque publicam latarum usus esset? Porro, cum saepe inter ciues et peregrinos negotia intercedere solent, quam incertum in eiusmodi causis ius foret? quantis fraudibus ciues obnoxii existerent? Denique, vbi inter ciues et peregrinos conuenissent, quid ad eludendas leges ciuiles accomodatius esset, quam eiusmodi effrena a legibus ciuilibus peregrinorum libertas? Est haec lex naturalis: principes, qui in territoriis ipsorum commorantur, peregrinos subditorum loco habere, neque sub alia lege iis aditum permittere. Quisque igitur,



igitur, qui sponte se in principis territorium confert, tacite se principis imperio subiecisse videtur.

§. III.


Quibus omnibus alia addi potest ratio. Quisque peregrinus securitate omnibusque iis commodis, quae ex republica bene ordinata redundant, frui cupit. Quod uti ex ipsa natura humana patet et quisque suo sensu docetur, ita nemo temere negabit. Omnis vero in republica securitas aliaque omnia commoda ex potestate principis intra territorii sui fines leges ferendi earumque auctoritatem poenis muniendi oriuntur, ideoque quisque peregrinus se huic principis potestati subiecisse videtur. Tritum enim atque peruulgatum est: qui vult finem, debet etiam velle media.

§. IV.

Quo efficitur omnes, qui in territorio commorantur, esse subditos, quia tacite se principis imperio subiecerunt. Quae subiectio peregrinorum cum tacito consensu nitatur, quisque videt, eos non esse subditos, ex quorum in territorio aduentu nulla consensus taciti significatio colligi potest. Hostes igitur, qui territorium inuadant, nullo modo subditis accenseri possunt. Hostis enim est nocere, iubere, non vero hostilis civitatis saluti prospicere, obedire. Nec in subditorum numerum referri possunt captiui. Cum enim nihil a consensu magis alienum sit, quam coactio, quis quaeso ex captiuorum in territorium translatione iudicare poterit, eos se imperio victoris subiecisse? Ob similem rationem etiam obsides profubditis haberi non posse mihi quidem videtur.

§. V.

Porro huc pertinent legati, qui ex omnium fere sententia a principis, ad quem mittuntur, iurisdictione exempti sunt.




sunt. ^{a)} Mirifice tamen dissentiunt doctores, vnde hoc legatorum ius oriatur, vtrum iurisdictionum arbitrarii sit, an naturalis? ^{b)} Quam ob causam etiam in hanc rem paucis inquirere huius loci esse videtur. Ante omnia vero monendum est hoc: Ex quocunque fonte hoc legatorum ius derivaueris, hodie omnes legati principis, ad quem missi sunt, imperio profecto non sunt subiecti. Omne enim in peregrinos imperium ex eorum consensu tacito petendum est, is vero inde colligitur, quod peregrini sciunt, se pro subditis haberi. Quae omnia in legatos non cadunt. Legati enim penes omnes gentes hodie a iurisdictione eximuntur, ideoque ratio, ex qua consensus peregrinorum tacitus intelligitur, in legatis locum non habet. Quod si igitur haec de origine huius legatorum iuris quaestio non inutilis atque inanis esse debet, omnis eo redit: vtrum principi per ius gentium liceat declarare, se legatos non admissuros esse, nisi se suae iurisdictioni subiciant? ^{c)}

§. VI.

Qui legatorum a iurisdictione exemptionem ex iure gentium naturali petendam esse contendunt, admodum probabilia argumenta afferunt. ^{a)} Vt inter gentes commercium intercedat, iure gentium praecipitur, omneque id, quo hoc commercium vel impediatur vel tollatur, eo prohiberi. Commercium inter gentes nullum cogitari posse sine legatis, nullos


- a) Dissentit tamen COCCHEI in *Diss. de legato sancto non impuni. Idem in Diss. de potestate in territorio fundata*, et alibi.
b) Vid. PRESBEVTAM *de iur. legat. stat. imp.* §. 94. WOLF I. G. §. 1059. VATTEL *Droit des gens Lib. IV. C. VII. §. 92. et C. VIII. §. 110.* GLAEFV *Voelcker - Rechte, C. IX. §. 53.*
c) Quod regem Hispaniae olim declarasse, sunt, qui tradunt. vid. VATTEL *Droit des gens Lib. IV. §. 92.*
a) VATTEL *Droit des gens L. IV. C. VII. §. 92. et C. VIII. §. 110.* GLAEFV *Voelcker - Rechte C. IX. §. 53.*



nullos vero legatos sine exemptione a potestate principis, ad quem mittuntur. Legatos enim imperio eius, qui cum negotia ipsis peragenda sunt, subiectos, officio suo commode satisfacere non posse. Accedere etiam hoc, legatos principum, a quibus mittuntur, personas sustinere, ideoque eorum subiectionem principibus, a quibus missi sunt, indignam esse. Quibus omnibus effici puto, prudenter in communem suam utilitatem gentes legatis libertatem insignem concessisse. Porro non videri, eum, qui legatum mittit, legatum suum principis, ad quem mittitur, imperio subicere velle. Nemo enim videtur velle id, quod in detrimentum suum facile verti possit, se indignum et confutedini communi plane contrarium existat. Denique inhumanum esse, id denegare aliis, quod constante usu saluberrime introductum est, ideoque legatorum a iurisdictione exemptionem esse iuris gentium in sensu latiori sic dicti, quod non solum officia gentium inter se perfecta, sed imperfecta etiam tradit. Sed secundum ius gentium strictum, quod officia perfecta tantum praecipit, argumenta iam allata, nullam vim habere videntur. Non enim omne id, quod communis utilitas suadet, iuris stricti est et vi ab aliis exigi potest. Quid enim magis cum aequitate et generis humani salute pugnaret, quam eiusmodi in alios potestas? Videamus igitur, quantum legatorum ab imperio principis, ad quem mittuntur, libertas iuris gentium stricti sit.

§. VII.

Leges praescribere aliis, sub quibus eos recipere vult princeps, licet tum, cum eorum admissio non necessitatis, sed voluntatis est. Quod si igitur principi, vtrum legatos recipere voluerit, an non, statuere liberum est, leges etiam ferre poterit, ad quas eorum admissionem adstringi velit; quod si ipsi autem non liberum est, nec alias leges legatis ad-



admittendis praescribere licebit, quam quas ipsa sana ratio tradit. Permulti iuris gentium doctores praecipunt, omnes legatos admittendos esse, nisi eorum admissio saluti reipublicae noxia videatur. Verum profecto hoc est secundum ius gentium latius; secundum ius gentium strictum falsum est. Quis enim dixerit gentem aliquam cogi posse, ut cum omnibus aliis gentibus de quibuscunque iis placuerit negotiis communicet? Sunt, fateor, negotia, quae inter gentes necessario debent peragi. Paces ineundae, lites dirimendae sunt et sic porro. Vbi igitur ob eiusmodi causas legati mittuntur, (haec vero causas enumerare non est huius loci) non est dubitandum eos admittendos esse, nisi summa et manifesta eos recusandi sit necessitas. Cum autem nulla lex naturalis praecipiat, ut legatus se principis, ad quem mittitur, imperio subiiciat, nec principi hoc statuere licebit. Quando autem legationum haec ratio est, ut iis recusatis alteri ius perfectum non adimatur, princeps, an et quomodo legatos admittere velit, secundum ius gentium strictum edicere poterit.

§. VIII.

Legatorum ab imperio exemptionem non solum legatos ipsos, sed etiam eorum res concernere, usus gentium probat et re ipsa clarum est. Res enim mobiles personae conditionem sequuntur. Nec legatos res, quas legationis causa afferunt, imperio principis subiecisse, probari poterit. Quod tamen ad res immobiles, quas legati intra fines territorii possident, trahi non debet. Has enim res legati non tamquam legati possident, sed tamquam privati. Ob eandem rationem iuris gentium doctores praecipunt, hoc legatorum privilegium ad res, quas mercaturae causa emunt venduntque legati, non pertinere. Sciunt enim legati, sibi haec iura legationum causa esse concessa, ideoque, quando se aliis im-

B

miscent




miscent negotiis, ipso facto se imperio principis in his causis subiecisse videntur, ne id, quod in communem gentium utilitatem introductum est, in earum detrimentum abeat. Interdum etiam ipso facto huic a legibus civilibus libertati renuntiant legati. Quod fecisse putantur, si conditione privata v. g. coram notario contrahunt. Quantum vero legatis liceat huic suo iuri renuntiare, ex natura legationum definiri debet. Sunt, qui dicunt, delictis etiam legatorum a iurisdictione exemptionem amitti, legatosque delinquentes iurisdictioni criminali subesse.^{a)} Quorum sententia profecto validis argumentis destruitur. Nam punire non licet nisi subditos. Delicto vero nemo fit subditus, quin antea fuerit. Consensu enim tacito legatos delinquentes se principis imperio subiecisse, absurdum est statuere. Salus rerum publicarum, vti nonnullis videtur, hanc legatos puniendi libertatem non requirit. Sufficit legatos delinquentes coerceri, ne in posterum delinquant, eos ad principes, a quibus missi sunt, remitti, ab iisque puniri. Finguntur enim secundum ius gentium legati quasi intra territorium principis, a quo missi sunt, positi esse. Quod si vero princeps legatos suos delinquentes punire recusauerit, vi, vt eos puniat, cogi poterit, quod tamen principem denegaturum esse numquam praesumi debet.

§. IX.

Solent et non possunt non comites habere legati, quos aequae ac legatos a iurisdictione usu gentium exemptos esse constat. Quam ob causam hi subditis temporariis adnumerari nequeunt. Nam ratio, ob quam alii peregrini pro subditis habentur, in eos non cadit §. I. An et quatenus hoc legationum ius ex iure gentium naturali peti possit, hoc loco disputare nimis longum, neque ad causam nostram necess-

a) BARBEYRAC *ad Grot.* Lib. II. C. XVIII. §. 4.



cessarium videtur. Id sane certum est, legationes hoc iure valde adiuuari, ^{a)} ideoque inhumanum esse, si quis id hodie legatis denegare voluerit.

§. X.

Quae hucusque de legatis eorumque comitibus diximus, tum demum locum habere, cum legati in territorium principis, ad quem mittuntur, veniunt, manifestum est. Sunt enim haec iura legatis legationis causa concessa, ut negotia sibi demendata commode et e dignitate principis sui gerant. Cessante vero causa cessat effectus. Quamquam enim legatorum in itinere violatio interdum bellandi materiam praebuerit, ut inter Carolum V. et Franciscum I. hoc accidisse legimus, id tamen non hanc vim habet, ac si principes legatis suis iura legationis causa iis concessa ubique tribui cupiant. Vera horum bellorum ratio haec est, certe esse debet. Iniuriae legatis innocentibus in itinere illatae et a principe civitatis, ubi illatae sunt, probatae, fortasse etiam subornatae, hostilem erga principem, qui legatos misit, animum declarant et iustam vindictae causam praebent. Haec de legatis.

§. XI.

Accidere solet, ut ipsi principes in aliorum principum territoria se conferant, qui, num pro subditis temporariis habendi sint, disputatum est. Qua in re ICti, ut solent, parum consentiunt. Subditos eos merito haberi putant COCCII, ^{a)} HUBER ^{b)} aliique, dissentiunt alii, in his VATEL, ^{c)} GRIBNERVS, ^{d)} SCHOENIVS. ^{e)} Fuerunt et-

B 2

iam

a) VATEL *Droit des gens* Lib. IV. §. 120. sqq.

a) in *Diss. de fundata in territor. potestat.* T. II. §. 12.

b) in *I. civ.* Lib. III. S. IV. C. II. §. 23.

c) *Droit des gens* Lib. IV. C. VII §. 108.

d) in *iurisprud. priu. illustr.* Lib. V. Cap. I. §. 1. in not. et Cap. II. §. 4.


e) *Rechtl. Bedenken: ob eines regierenden Herrn Gemablin seine Unterthanin sey?* §. 20.



iam, qui, principem in alieno territorio infcio huius territorii principe commorantem carcere coerceri iure posse, dicerent. Cuius stolidae sententiae vix vlla alia reddi potest ratio, quam fordida nonnullorum adulatio, qui, iniusta quaelibet principum suorum facta defensuri, in absurda quaeuis incidunt. Qui subditis temporariis etiam principes peregrinos adnumerari volunt, notissimum illud principium vrgent: quicquid in territorio est, censetur etiam esse de territorio. Qui contradicunt, vsu gentium et dignitate principum effici putant, vt principes a communi illa regula eximantur. Nos, quantum in nobis est, hanc quaestionem ad principia supra allata reuocabimus.

§. XII.

Potestas principum in subditos temporarios oritur/ex horum consensu tacito, qui, cum sciunt, principes in securitatem vtilitatemque rerum publicarum statuisse, vt omnes, qui intra territorii fines commorantur, legibus suis se subiciant, ipso suo aduentu se principis imperio subiecisse censentur. Quae num in principes peregrinos cadant, videamus. Salus rerum publicarum profecto nos non cogit, vt putemus principes idem in principes peregrinos statuere, quod in alios peregrinos statuunt. Raro enim fit, vt principes in aliena territoria veniant. Et si accidit, non timendum est, vt iniuriis principum securitas publica turberetur. Non solum enim principum dignitas eos a delictis arcere solet, sed etiam, si quid iniusti admiserint, principes principem, vt sibi satisfaciat, facile cogere poterit. Quid? quod experientia discimus, respubl. hac principum ab imperio libertate detrimentum non capere. Porro aequali in aequalem nullum esse imperium, ipsa iuris naturalis principia docent. Neque aequalem aequali se, nisi vrgente necessitate, subicere, quis ignorat? Ex quibus perspicuum fit, principem
in



in peregrinum principem iniurium sane esse, si hunc se ipsius imperio subiecisse ex solo eius in territorio aduentu colligat, praesertim cum usu gentium ^a) haec principum peregrinorum ab imperio libertas confirmata sit, ideoque eadem tacite ab imperio exemptionis ratio accedat, quam supra de legatis differentes attulimus. Liberum sane erit peregrinum principem a finibus territorii arcere, vel ipsi tantum hac lege aditum concedere, ut subditus temporarius fiat, quod statuere, nisi salus reipublicae suadeat, inhumanum quidem est, iniustum dicere non audeo. Interdum tamen principes peregrini huic suo iuri vel plane renuntiant, vel quod ad certas causas. Quod fecisse censentur, quando stipendia faciunt, ficto nomine utuntur, res immobiles sibi acquirunt, conditione priuata contrahunt et sic reliqua. Usus gentium etiam comites principum ab imperio eximi solent, quod comiter et humane fit, ex iure gentium naturali autem nullo modo peti potest. Quibus exemplis satis probatum esse puto, non omnes, qui in territorium veniunt, pro subditis temporariis esse habendos. Plura de hac re afferre, nimis longum et a nostro consilio alienum esset. Sufficit hanc regulam suppeditasse: Qui neque expresse, neque tacite imperio principis se subiecit, subditus non est.


§. XIII.

Eos, qui ad tempus in republica commorantur, subditos esse demonstratum est, quos subditos temporarios auctore Grotio diximus. In quorum numerum omnes ii referendi sunt, qui ex causa temporaria in ciuitate sunt, domicilium ibi nullum habent. Vtrum per breuius longiusue temporis spatium aliqua in ciuitate commoretur peregrinus, nihil interest. Solus eius animus ac commorationis causa

B 3

spe-

a) De quo usu, imprimis inter status imp. testantur HERTIVS de subiection. territ. §. 9. et BOEHMER de sacr. legat. priu. p. 30.



spectari debent, nisi legibus provincialibus cautum sit, ut post aliquod tempus peregrini incolae seruiue fierent.^{a)} Peregrini enim, quando haec in se scriptas leges norunt, se iis ipsa sua commoratione subiiciunt. Subditos temporarios legibus ciuilibus i. e. a principe, qui ciuitati praest, latius teneri, ipsius nominis ratio indicat. Varias tamen in applicandis legibus ciuilibus ad negotia subditorum temporariorum oriuntur difficultates, partim, quod potestas principis in peregrinos ex horum tacita subiectione oritur, nec ultra huius subiectionis limites extendi debet, partim, quod subditi temporarii ciues in patria sua manent, obligationes ibi contractas retinent et in eam paulo post redeunt, partim denique, quod subditi temporarii legum ciuiliu ignorantia interdum se tueri possunt. Quam ob causam de hac legum ciuiliu vi in subditos temporarios nunc pluribus dicendum est.


§. XIV.

Sed ne omnis nostra fluctuet disputatio, primo loco sane principia exponenda sunt, ad quae tamquam ad normam omnes causae huc pertinentes reuocari possint. Quibus propositis singula legum ciuiliu genera perstringemus, et in iis ad negotia subditorum temporariorum applicandis versabimur. Ante omnia vero monendum est, iuris Rom. hac in disquisitione exiguum usum esse. Cuius rei duae inprimis causae sunt. Vna, quod Romani peregrinos hostium fere loco habere solebant,^{a)} quod sanioris philosophiae principis hodie recte contrarium putatur.^{b)} Altera haec est.

a) HERTIVS de subiect. territor. §. 9: Huc referri debet ius Wildfangiatus.

a) De hoc in peregrinos odio vid. LVDEWIG de peregrinitate C. II. §. 4. Testantur etiam de hac re passim leges v. c. l. §. 2. D. de captiu. et postlim.

b) Quamquam etiam passim hodie huius erga peregrinos odii vestigia reperies, quo merito refertur ius albinagii.



est. Imperium Romanum latissime patebat, ideoque per-
multae leges, quae hac in re afferri solent, ius quidem con-
stituebant inter eiusdem ciuitatis magistratus, ^{c)} non vero
inter liberas gentes vel principes Imperii, qui cum magistra-
ribus Romanis non possunt comparari. ^{d)} Receptum qui-
dem est in Imp. Rom. Germ. ius Rom., sed ita debet app-
licari, vti ratio Imperii Rom. Germ. hodierna patitur.
Omnis haec de vi legum ciuiliū in subditos temporarios
disputatio diiudicari debet, partim ex subiectione eorum vo-
luntaria, ex qua omne in eos imperium oritur, partim ex
eo, quod salus rerum publ. exigit, quae ipsius huius subie-
ctionis fundamentum est. §. II.

§. XV.

En ipsas regulas, ex quibus omnem hanc rem diiudi-
cari posse arbitramur.


I. Omne imperium principis ad subditos suos eorum-
que res est restrictum, neque latius patet, quam hi se ipsius
imperio subiecere et subiicere poterunt. Quod profecto
certum est, ita, vt vix probatione egere videatur. Omne
enim imperium ex voluntaria aliorum subiectione oritur,
(§. I.) nemo vero plus iuris in alterum transferre potest,
quam ipse habet.

II. Omne imperium intra fines territorii contineri,
porro omne in res mobiles imperium esse temporarium, nisi
certas res e territorio euehi prohibuerit princeps, denique
res immobiles, cum partem ipsius territorii, vbi sitae sunt,
constituant, perpetuo principis imperio subesse, ex natura
imperii satis patet, et imprimis iuris publici vniuersalis prin-
cipis traditur.

§. XVI.

e) COCCHEI *de potestate in territ. fundata, ab initio.*

d) HERT. *de super. territ. §. 27.*




§. XVI.

III. Omne in subditos temporarios eorumque res imperium temporarium est, (oritur enim ex eorum interterritorio temporaria commoratione) nihilque in eos eorumque res in perpetuum statuere licet, nisi vel eorum factis v. gr. delictis, vel orta officiorum pugna siue collisione, quam vocant, v. gr. tempore belli, hoc in subditos temporarios imperium latius extendatur. Potestas enim principis in subditos temporarios horum voluntaria subiectione nititur. Subiecerunt autem peregrini se suasque res principis potestati ad tempus hoc consilio, vt peractis suis negotiis in patriam redirent. Si quid igitur princeps in eos statueret, quod huic pacto tacito contrarium esset, iniurius sane in subditos temporarios fieret. Hoc autem non hanc vim habet, quasi principi non liceret iu peregrinos eiusmodi leges ferre, quibus ipsi ius perpetuum in subditos temporarios acquiratur. Quo iura Wildfangiatus, Albinagii et similia pertinent. Quae iura cum norunt peregrini, adeunt tamen ciuitates, vbi ea valent, tacite se iis subiecisse videntur.^{a)} Vtrum eiusmodi leges humanitati conueniant et salutem rerum publ. promoueant, an non? alii iudicent. Sed nos de vi legum ciuiliu in subditos temporarios dicimus, non de legibus in peregrinos expresse latis.

§. XVII.

IV. Quod in subditos temporarios competit imperium, non impedit, quo minus hi iura et obligationes, quibus ciuitati suae tanquam ciues obstricti sunt, retineant. Vinculum enim, quo quis cum sua ciuitate coniunctus est, non nisi aut morte aut emigratione siue necessaria, siue voluntaria dissoluitur. Discessu vero temporario, retento domicili-

^{a)} THOMASIVS in not. ad Huberi I, ciuit. L. III. S. III. C. III. §. 26.




micilio animoque redeundi in patriam, nemo ciuis esse definit. Ex discessu enim temporario neque voluntas deferendi patriam colligitur, neque eam deferendi necessitas ciui imponitur.

§. XVIII.

V. Cum omnis subditerum temporariorum subiectionis fundamentum salus rerum publicarum sit, in omni hac de vi legum ciuilium in subditos temporarios tractatione praecipue spectari debet, partim, vt ne ciues per discessum temporarium e patria in fraudem legum patriarum aliquid admittere et leges patrias eludere possint, partim, vt ne peregrinorum confluxu respublica turbetur, vt iura et negotia inter ciues et subditos temporarios certa sint, neque in ciuium nostrorum detrimentum vertantur. Omnis enim reipublicae salus in eo potissimum cernitur, vt legum auctoritas in republica sustineatur.

VI. Vti vero in omni legum applicatione non tam verba legum, quam earum rationes inspici debent, ita etiam hoc maxime opus est tum, cum de vi legum ciuilium in subditos temporarios differitur, ideoque omnes leges, quae in ciues vt tales scriptae sunt, ad subditos temporarios pertinere minime putarim.

VII. Ignorantia legum ciuilium, quas subditi temporarii scire non potuerunt, subditis temporariis noxia esse non debet. Omnis enim legum obligatio inde oritur, quod scimus, legislatorem aliquid vel imperasse vel prohibuisse. Quis vero omnes omnium, quas adit, rerumpublicarum leges discere poterit? Quia vero quas leges ignorarunt subditi temporarii et scire non potuerant, non semper certo dici potest, debet hoc ex legum natura, temporis, per quod in aliqua republica commorati sunt subditi temporarii, siue breuitate siue longinquitate, subditorum temporariorum conditione



ditione aliisque, quae in aliis causis alia sunt, iudiciis conici.


§. XIX.

Veniamus nunc ad tertiam dissertationis nostrae partem, et qui regularum a nobis propositarum in applicandis legibus ad negotia subditorum temporariorum usus sit, videamus. Leges civiles sunt vel civiles stricte sic dictae vel criminales. Leges civiles stricte sic dictae vel statum salutemque reipublicae immediate concernunt, quas publicas vocant, vel ius inter priuatos constituunt, quas priuatas dicimus. Primum igitur de legibus publicis, deinde de legibus priuatis, denique de legibus criminalibus nobis dicendum erit. Qua in re non hoc agere animus est, vt in omnes hac in causa obuias quaestiones inquiramus, (immensum enim hoc opus esset et parum vtile) sed nonnullas tantum praeclaras causas seligemus et in iis explicandis usum regularum a nobis suppeditatarum demonstrabimus.

§. XX.

Inter leges publicas primum locum obtinent eae, quae vectigalia et tributa concernunt. Quae cum ad commercia inter gentes imprimis pertineant, frequentissimus earum usus est. Primum igitur de vectigalibus. Ad vectigalia praestanda obligari subditos temporarios non dubitatur, partim, quod iuris naturalis est, vt ii, quibus rei alicuius usus a possessore conceditur, possessorem indemnem praestent, ideoque peregrini principi, in quem a populo potestas atque cura fluuiorum, viarum, pontium etc. translata est, tantum praestare teneantur, quantum huic aequum visum sit, ^{a)} partim, quod peregrini sciunt, principes in vectigalibus imponendis

a) Hanc vectigalia imponendi potestatem in Imp. R. Germ. per LL. Imp. valde esse restrictam, prima iuris publ. elementa docent.



dis inprimis peregrinorum rationem habere solere. ^{b)} Vna fere hoc loco oritur dubitatio, vtrum nempe principi liceat ob solum transitum, nulla etiam impensarum in vias, pontes, portus, etc. factarum ratione habita, vectigalia a peregrinis exigere? De quo inter iuris publici doctores disputatur. ^{c)} Omnis profecto haec quaestio ex dominii natura debet expediri. Populus enim, qui territorium occupavit, simul eius omniumque, quae in eo continentur, rerum dominium acquisiuit, harumque rerum administrationem principi dedit. Possessor vero, qui alterum re sua vti patitur, legem dicere potest, sub qua ei rerum suarum vsum indulgere voluerit. Ex quo patet, secundum ius strictum principi liberum esse etiam ob solum transitum peregrinis, quibus viarum, fluuiorum, etc. vsum concedit, vectigalia imponere. Quod nonnullis iniquum videtur, mihi non item. Nam si ex vfu rei meae alter lucrum aliquod capit, me in partem huius lucri venire, quid aequius esse possit? Peregrini vero merces per nostrum territorium vehentes, vt iis emendis vendendisque locupletiores fiant, quod ex hoc commercio percipiunt, lucrum principi, qui iis transitum concessit, debent.

§. XXI.


Porro tributa et rebus et personis imponi solent, quae vtrum subditi temporarii soluere teneantur, an non, ex horum tributorum natura et rationibus, cur imposita sunt, debet diiudicari. Ciues ad onera reipublicae sustinenda aliquam opum suarum partem conferre tenentur. Quod tributorum genus in subditos temporarios profecto non cadit, si-

C 2


qui-

b) VATTEL *Droit des gens* Lib. I. §. 103 et 104.

c) FVFFENDORF *I N. et G.* Lib. III. C. III. §. 7. VATTEL *I. c.* GROTI. *I. B. et P.* Lib. II. C. II. §. 14. et BARBEYRAC *in Not. ad b. l.*



quidem haec tributa a ciuibus vt talibus exiguntur §. XVII. Vti enim in omni societate impensae in communem vtilitatem faciendae a sociis ipsis, non ab exteris, sunt praestandae, ita etiam onera reipublicae sustinenda sunt a ciuibus, non a peregrinis, qui neque verbis neque factis obligationes ciuium in se recipere, et in quos post eorum discessum commoda hisce tributis promouenda non redundant. Omnis respublica societas est, cuius omnes, qui in territorio domicilium habent, socii sunt, cuique praestantur princeps. Quod tamen ad onera ex immobilibus bonis praestanda non pertinere, quisque videt. Bona enim immobilia perpetuo principis imperio subsunt et quicumque, etiam peregrinus, ea sibi acquirit, ad omnia onera iis imposita praestanda tacite se obligat. Tributorum etiam, quae ex mercibus intra territorii fines emtis venditisue soluuntur, plane alia et diuersa est ratio. Quae cum ob lucrum ex commercio perceptum et principum circa commercia curam pendi debeant, peregrini vero ex sola principis indulgentia in republica negotiantur, omnibusque commodis commerciorum, quae institutis legibusque principum plurimum adiuuantur, fruuntur, quis tandem negare poterit, peregrinos, dum in republica negotiantur, ad haec tributa soluenda ipso facto obligari? Alia tributa personis imponi diximus, quae capitaciones vocant. Quae tributa a peregrinis exigere non posse, cum Grotio affirmare nulli dubitamus. Eadem enim hoc loco repetenda sunt, quae de tributis ex opibus praestandis disseruimus. Sed hoc de tributis ordinariis intelligi debet, non de iis vero, quae extra ordinem a peregrinis interdum ob securitatem iis praestitam veniamque in territorio commorandi iis concessam exigere solent, quo pertinent tributa, quae Iudaei peregrini tempore nundinarum Lipsiae commorantes sol-



soluere tenentur. ^{a)}) Haec enim tributa in peregrinos ut tales ob rationes iam allatas iure meritoque scribi possunt.

§. XXII.


Ad tributa etiam referuntur census emigrationis et ius detractus. Sed utrumque non pertinere ad subditos temporarios manifestum est. Siue enim ob veniam res suas e republica exportandi hunc censum solui dixeris, subditus temporarius, qui hac lege se suasque res imperio principis subiecit, ut paulo post rediret in patriam, non habebit, cur hanc veniam a principe impetret. Siue hos census ideo soluendos esse existimes, quod tributa ex his opibus exigendi ius princeps per earum euectionem amittit, cum hoc ius in bona mobilia subditorum temporariorum principi plane non competat, nec ut id aliquo censu compensetur necesse est. Siue denique censas rempublicam ob alia iura, v.c. dominium eminens, quibus subditorum vel morte vel emigratione priuatur princeps, indemnem hisce censibus reddi, ^{a)}) haec iura tamen principis, quippe ex obligationibus ciuium oriuntur, ad subditorum temporariorum bona mobilia non pertinent, et si interdum orta officiorum pugna eo pertineant, certe temporaria tantum sunt, si quidem subditi temporarii rerum suarum imperium perpetuum in principem numquam transferunt. Quod tamen de bonis, quae peregrini ex hereditate ciuium nostrorum sibi acquirunt, intelligi non debet. Ex his enim bonis census peti potest atque solet, siquidem in haec bona imperium principis non

C 3

ex

a) Conf. die Leipziger Iudenordnung, in der Stadt Leipzig Ordnungen, wie auch Privil. und Statut. p. 133. seq.

a) Quod contra LEYSERVM aliosque nuper docti, ut solet, defendit Illustr. NETTELBLADT Von einigen ungegründeten Einschränkungen des Landesherrlichen Abzugs-Rechts, §. 4. in Haellischen Anzeigen v. Jahr 1771. N. 30.




ex subiectione peregrinorum, sed ex ipsa in territorium et, quae in eo continentur, res potestate oritur.

§. XXIII.

Ad leges, quae ad commercia spectant, pertinent iura stapulae, quibus quantum peregrini iure teneri possint, inter ICtos non omnino conuenit. HERTIO^{a)} contra Puffendorfium disputanti ius stapulae inter ciues tantum et mercatores peregrinos merces suas intra fines territorii vel ementes vel vendituros locum habere, ad eos vero, qui merces exteras per territorium vehunt alibi vendituri, non extendendum esse videtur. Quod negat BARBEYRACIVS,^{b)} qui Puffendorfii partes tuetur. Omnis haec causa ex iisdem principiis definiri debet, quae supra de vectigalibus differentes attulimus. Princeps peregrinis com meatum per territorium suum concedens leges ferre potest, quibus eorum transitum adstrictum cupiat. Vnde principis ius oritur mercium peregrinarum transuectionem concedendi, sed ita, vt hae merces certo aliquo loco per certum aliquod tempus publice profrent. Quia vero non iuris stricti solum, sed aequitatis etiam in legibus ferendis ratio habenda est, cauendum est, ne principes hac sua potestate abutantur. In vniuersum profecto hoc ius stapulae ad merces exteras per territorium nostrum vectas extensum iniquum dici nequit. Quid enim quaeso iniquitatis habet, quam rebus nostris vtendi aliis concedimus, facultatem ita definire, vt inde commodum aliquod ad nos redundet? Quod si tamen plus lucri ex hoc commercio capere ciues suos voluerit princeps, quam ipsi peregrini inde percipiunt, quibus vel benignitate, quam incolunt, terrae vel studio suo ingeniorumque suorum felicitate

a) In *Diss. de seruitut. natur. tum inter diuers. pop. tum inter eiusd. ciuit. ciues*, §. 11.

b) In *not. ad Puffendorf. Lib. III, C. III. §. 6.*




te certarum mercium abundantia contigit, iure suo sane abuteretur. Quam ob rem duo inprimis bono atque aequo principi obseruanda esse existimo. Vnum, vt lucrum commodum e mercibus, quas peregrini in territorio vendere tenentur, eos capere patiarur. Alterum, vt hoc ius stapulae ad eas merces restringat, quibus ipsis ciuibus suis ad vitae vel necessitatem vel voluptatem opus est, non vero ita extendat, vt ciues sui mercibus peregrinorum emendis et in alienis territoriis vendendis locupletentur, ideoque, quod optimo iure peregrinis competit, lucrum intercipient.

§. XXIV.

Frequentissimae sunt, praesertim nostris temporibus, leges, quibus certae merces, v. c. frumenta, e territorio euehi prohibentur. Videamus igitur, quatenus hae leges peregrinorum res in nostro territorio repositas obligent. Mihi quidem hae leges ad peregrinorum res non trahi posse videntur. ^{a)} Omne enim in subditorum temporariorum res imperium temporarium est, et nihil in perpetuum, quod legi tacitae, sub qua suas res subditi temporarii principis imperio subiecerunt, contrarium esset, in eas statui potest §. XVI. Tres tamen addendae sunt exceptiones. Vna, si fructus e bonis immobilibus in territorio sitis perceperint peregrini. ^{b)} In hos enim fructus ratio a nobis allata non cadit, et in omnibus causis ad res immobiles pertinentibus subditi temporarii pro subditis perpetuis merito habentur. §. XV. Secunda haec est: Si quas res in territorio emerint subditi temporarii. Imperium enim in has res non ex subiectione subditorum temporariorum, sed ex ipso principis in territorio omnesque, quae in eo continentur, res imperio oritur. Et quis quaeso principi denegauerit ius peregrinorum in

a) HERTIVS *de collif. LL.* §. 52.

b) HERTIVS *l. c.*




in territorio suo negotiationes coercendi? Addenda denique est tertia, quando summa est rerum ad vitam alendam in republica inopia. Tunc enim pugna siue collisio, quam vocant, officiorum oritur. Iuris vero naturalis est, vt alterum cogam ad praestanda ea, sine quibus vitam aliter conseruare nequeo, modo, si fieri possit, eum indemnem reddam. Plaine alia est legum, quibus, ne certae res aduehantur, cautum est, ratio. Cum enim ipsos peregrinos, nedum certas eorum res, princeps a territorio suo arcere omni iure possit, ratio vero harum legum potissimum haec esse solet, vt mercium vel arte factarum vel naturalium et vsus et pretium augetur, satis pater, hisce legibus omnino obligari peregrinos, nisi eos aliquo modo exemptos esse princeps voluerit.

§. XXV.

In legibus publicis earum etiam, quae ad politiam pertinent, ratio profecto habenda est, de quarum in subditos temporarios vi nunc dicamus. Quarum Legum tria hoc loco genera facienda esse videntur. Primum, quod ad securitatem, iustum in republica ordinem, aliaque publica commoda spectat, quo leges pertinent, quibus certorum armorum vsus prohibetur, signis externis inter diuersos hominum ordines differentiae constituuntur, et sexcentae aliae; secundum singulorum ciuium salutem, inprimis eorum opes concernit, quo pertinent leges, quibus modus sumtuum in vestitu aliisque rebus definitur, certorum ludorum vsus vetatur, et permultae aliae; tertium denique vtrique fini assequendo inseruit, ad quod leges referendae sunt, quibus v. c. ne nimis longae atque sumtuosae nuptiae et encaeniae celebrentur, cauetur, et sic porro. Legibus primi et tertii generis obligari subditos temporarios extra omnem dubitationem positum est, cum eam ob causam potissimum subditi temporarii subditi sint, vt ne peregrinorum confluxu res publica

tur-



rurbetur detrimentique aliquid capiat §. II. Facilius tamen indulgeri aliquid subditis temporariis, si quid contra eiusmodi leges admiserint, aequitas suadet et in singulis causis e rationum diuersitate debet diiudicari. Nimis enim, praecipue in hisce negotiis, variant non solum leges rerumpublicarum, sed statuta etiam singularum vrbium, ideoque eiusmodi legum ignorantia peregrinis, imprimis aduenis, quam saepissime ignosci debet. §. XVIII. Secundi generis legibus, vt quae in ciues vt ciues latae sunt, solutos esse peregrinos manifestum est, nisi vtilitas publica suadeat etiam eiusmodi legibus interdum teneri peregrinos. Quod suadet praecipue tum, cum timendum esset, ne peregrinorum ab hisce legibus immunitas in earum fraudem vertatur §. XVIII. Quam ob causam peregrini etiam, vt hoc vtar, ludos legibus prohibitos tractare recte prohibentur.


§. XXVI.

Nobis de legibus publicis dicentibus leges, quae religionem concernunt, non omittendae sunt, praesertim cum vnicique nihil prius, nihil antiquius esse debeat, quam causae, quae ad religionem pertinent. Ante omnia vero distinguendum nobis est, partim inter leges, quae vi potestatis ecclesiasticae latae sunt, et eas, quas princeps religionis causa vi iuris maiestatici circa sacra tulit, partim inter subditos temporarios, qui religioni addicti sunt, cui exercitium aliquod vel priuatum vel publicum in republica competit, et eos, qui religionem profitentur, quae hoc iure non gaudet. Subditi temporarii, qui religioni se addixerunt, quae exercitium vel priuatum vel publicum in republica habet, in omnibus causis temporariis sane iisdem legibus adstricti sunt, quibus subditi perpetui eiusdem religionis tenentur. Latae enim hae leges sunt, vt iustus inter eiusdem religionis affectas ordo seruetur. Poterunt igitur etiam subditi tempora-

D

rii






rui cogi, vt v. c. infantes suos baptizari patiantur, et sic reliqua. Ii contra, qui religionem colunt, cui exercitium in republica denegatum est, legibus vi potestatis ecclesiasticae latis nullo iure obligari possunt, (esset enim hoc conscientiae libertati, quae profecto omni modo defendi debet, plane contrarium) bene tamen iis, quae a principe vi iuris maiestatici circa sacra latae sunt. Hisce enim legibus omnes subditos obligari, cum libertate conscientiae plane non pugnat et salus reipublicae exigit. Recte igitur peregrini, ne aliis sacra facientibus negotiis publicis iisque turbulentis incommodo sint, prohibentur, et sic porro. Sunt vero aliae causae eaeque perpetuae, quae post subditorum temporariorum discessum effecta ciuilia in ipsorum patria producant, in quibus peregrini legibus ciuilibus subiecti esse non possunt. Legum enim nostrarum extra territorium nulla vis est, nec leges nostrae alterius principis legibus derogare possunt, §. XV. nihilque magis cauendum est, quam vt ne subditi temporarii patriae suae leges eludant, §. XVIII. Hisce causis inprimis adnumerandae sunt matrimoniales, quae hodie ad res ecclesiasticas referuntur. Quae materia cum variis implicita sit difficultatibus, in nonnullas, quae hoc loco occurrunt, quaestiones inquirere non alienum videtur.

§. XXVII.

Ex iis, quae iam diximus, satis patet, matrimonium subditi temporarii in initum cum consanguinea, quam secundum leges patrias ducere ipsi non licebat, licebat vero secundum leges, vbi matrimonium contraxit, post eius in patriam reditum ibi pro valido matrimonio non haberi. Sed quaeritur, num hoc matrimonium iure rescindi possit? Qua in re mihi quidem videtur distinguendum esse, vtrum subditus temporarius cum coniuge suae ciuitatis matrimonium inierit, an cum peregrina? Si prius, hoc matrimonium iure dissolui




dissolui poterit. Nam vterque coniux se in fraudem legum patriarum legibus alterius reipublicae subiicere non potuit. Sin posterius, rescindere hoc matrimonium non licebit. Peregrina enim coniux, cum matrimonium iniit, legibus mariti patrii non fuit subiecta, sed legibus suae patriae, ideoque hoc matrimonium valide contraxit eoque ius perfectum ad-
epta est, quo si priuaretur, profecto iniustum esset. Cum vero hoc matrimonium in patria subditi temporarii validitate destituatur, necesse est, vt aut dispensatione principis subsequente id conualescat, aut ciui patriam cum sua coniuge deserendi necessitas imponatur. Idem statuendum est, si subditi temporarius, dum consanguineam ducebat, dispensationem a principe, vbi matrimonium iniit, impetrauit. Haec enim dispensatio extra fines territorii nullam habet vim.^{a)} Ex iisdem rationibus alia definiiri debet quaestio huic simillima. Quatenus nempe diuortium ob causam, quae in patria subditi temporarii ad dissoluendum matrimonium non idonea putatur, factum post eius in patriam reditum validum sit? Si ciuis noster extra territorium iniit matrimonium cum peregrina, hoc priusquam is vxorem suam secum in patriam ducit, ob qualemcunque causam principi territorii, vbi matrimonium est contractum, placuerit, valide dissolui poterit. Peregrina enim ciuis nostri vxor legibus nostris non tenetur, ideoque ad dissoluendum matrimonium et ipsa ex legibus patriae suae valide agere et contra eam valide agi poterit. Sin autem vterque coniux nostrae ciuitatis ciues sunt, non item. Ciues enim nostri alterius reipublicae legibus se in fraudem legum nostrarum subiicere prohibentur.

D 2

§. XXVIII.


- a) Sic iudicauit Senatus Ratisbonensis in causa Schkleri, vid. *Rechel. Abb. v. der Zulässigkeit der Ehe mit des Vaters Bruders Wittwe nach Veranlassung einer solchen von Schkler, Bürgern zu Regensburg, völk. zogen Ehe*, (Ratisb. 1751. fol.) p. 23.



§. XXVIII.

Pergamus nunc ad leges priuatas, et quantum hae subditos temporarios obligent, dispiciamus. Quae cum ad tria fere capita reuocari possint, ad leges nempe, quae de personis, quae de rebus, denique quae de iudiciis praecipunt, de his omnibus figillatim agendum est. Primo loco igitur de iure personarum differamus. Duplex hac in re oritur disputatio. Prior de certis personarum qualitatibus, legibus definitis, quinam nempe pro minoribus, infamibus habendi sint, et sic porro, posterior de iuribus vel oneribus cum certa personarum conditione coniunctis, v. c. in quibus causis minor restitutionis in integrum beneficio gaudet, quando valide contrahere possit. Quod primum attinet, plurimi^{a)} existimant, qualitates subditorum temporariorum personales ex legibus ipsorum patriis esse aestimandum, non ex legibus nostris ciuilibus; quae iura vero et obligationes ex his oriuntur, secundum leges ciuitatis, vbi commoratur subditus temporarius, esse iudicandum. Qualitates enim personae impressas ei vbique inhaerere. Quae sententia quibus argumentis defendi possit, non reperiō. Quando enim legibus certae qualitates personis imponuntur, iis apud alios certa existimatio omniaque huic existimationi annexa iura atque commoda tribuuntur. Pendent hae qualitates aequae ac iura et obligationes, quae inde consequuntur, a sola legislatorum voluntate suaque natura pro locorum diuersitate diuersae esse possunt. Qui enim ibi, vt hoc vtar, minor habetur, alibi quo minus maior haberi possit, quid impedit? Quo modo igitur naturae subditorum temporariorum repugnet, vt aliis prorsus qualitatibus, iuribus obligationibusque vtantur, quam

a) HVER *I. ciu. Lib. III. S. IV. C. I. §. 26.* COCCII *de potestat. in territ. fund. Tit. V. §. 3.*




quam quibus in patria sua utuntur, non video. Porro legibus, quibus personarum qualitates, iura et obligationes definiuntur, non tam iis imperatur, de quorum iuribus hae leges praecipiunt, quam aliis, qui quaedam iura iis vel denegare vel concedere iubentur. Cum vero nemo aliis, nisi subditis, legem dicere possit, iura de personis civium extra territorium principis, qui ea tulit, nullam vim habebunt. Denique leges, quibus qualitates subditorum et iura obligationesque cum his coniuncta definiuntur, hanc ob causam potissimum latae sunt, ut iura in republica certa essent, magistratus haberent, quam in causis agendis sequerentur, normam, ciuesque scirent, quibuscum valide contrahere possent. Ex quo apparet, harum legum rationes non solum in subditos perpetuos, sed etiam in temporarios cadere, ideoque eos hisce legibus obligari. Quam ob causam, qui unum et viginti annos implevit, valide se obligabit in Saxonia, quamquam pro maiori in patria non habeatur, ne nec restitutionem in integrum petere poterit. Minor 25 annis Saxo extra Saxoniam valide cambio se obligabit, et quamquam ex hoc cambio in Saxonia conuentus ob *Mandat. wider das Aufborgen junger Leute* anno 1724. editum §. V. a iuris cambialis rigore liberetur, tamen tanquam ex chirographo contra eum ex eo agi poterit. Peregrinus nobilis non gaudebit iuribus nobilitatis, ^{b)} nisi inter principes mutuo vel expresso vel tacito pacto aliter conuentum sit. Maior 18 annis apud nos ad iusiurandum praestandum compelleretur, quamquam in patria valide iurare non possit. Mulier peregrina apud nos actus, in quibus leges nostrae curatoris consensum requirunt, sine curatore valide perficere non potest, quod bene obseruat *STRYCKIVS.* ^{c)} Et sic reli-

D 3

qua.

b) Quod recte monet HERTIVS *de collisione LL.* §. 16.


c) *de cautel. contr. S. I. C. II.* §. 32. quicum consentit HVEER *de conflictu legum*, §. 5.




qua. Subiiciendae tamen sunt nonnullae causae, in quibus peragendis subditi temporarii ex legibus patriis merito diiudicantur. Huc pertinent omnes causae bona immobilia concernentes. Cum enim imperium in res immobiles perpetuum sit, inde principis ius oritur, quis de iis contrahere possit, statuendi, vbicunque locorum contractus de iis in eatur. Porro hisce causis adnumerandae sunt testamentariae. Primum enim, si quis subditus temporarius apud nos testamentum condiderit, id a solo subdito temporario perficitur, ideoque iura nostra non incerta redduntur, etsi subditorum temporariorum testandi facultas ex legibus ipsorum patriis aestimetur. Deinde nihil magis ad eludendas leges esset comparatum, quam si ciuis, qui in patria testari prohibetur, post temporarium discessum valide testari possit. Quod, vt ne fiat, quantum fieri potest, cauendum est §. XVIII. Ex iisdem rationibus contractus inter eiusdem reipublicae ciues a ciuibus, qui in patria valide contrahere nequeant, extra territorium initus, post eorum in patriam reditum pro inualido profecto habendus est. Denique subditos temporarios legibus iura personarum concernentibus non teneri, si eos ipsa lege exceperit princeps, manifestum est. Cuius rei exemplum suppeditat in Saxonia Mandatum laudatum *wider das Aufborgen junger Leute*, l. c.

§. XXIX.

Veniamus nunc ad ius rerum. Primum de contractibus. Formam contractus semper ex legibus loci, vbi initur, esse diiudicandam, inter omnes, quantum scio, ICtos conuenit. Quod ad contractus de rebus immobilibus trahi non debet, cum principis in res immobiles imperium perpetuum sit, ideoque quomodo de hisce bonis contrahi voluerit, princeps statuere possit, vbicunque demum de iis contrahatur. Cui tamen iuris publici vniuersalis legi aliquo modo




modo derogat ius Romanum l. 6. D. de Euict. Quae vero lex de forma contractuum externa tantum, non de interna contractus validitate eiusque effectibus intelligi debet. Quam interpretationem non solum rerum publicarum salus et vsus hodiernus commendant, sed etiam ipsius legis verba. Species enim, de qua haec lex agit, formam contractus concernit, qualem nimirum cautionem fundi venditor pro euictione praestare teneatur; quod ex consuetudine loci, vbi negotium est gestum, esse definiendum, dicit ICtus. Is vero, qui loco rei sitae de rebus immobilibus valide contrahere nequit, nec alibi, vbi eiusmodi contractum inire non prohibetur, contractum inire valide poterit. Porro qui fundum sibi acquirere legibus loci, vbi fundus situs est, prohibetur, vbicunque demum de eo contraxerit, eum sibi non acquirit. In iis locis, vbi iudicialis traditio ad dominium fundi acquirendum requiritur, nemo fiet sine hac traditione dominus fundi, quamuis aliquo loco contraxerit, vbi iudicialis traditio non in vsu est, et sic reliqua. Quae omnia non solum ex imperii, quod principi in territorium competit, natura sequuntur, sed etiam cum Iur. Rom. principiis conveniunt. Exemplo esse potest l. 16. C. de praediis aliisque reb. min. fin. decr. non alien. Cum forma contractus semper ad leges, vbi contractus est initus, reuocanda sit, habet haec res tamen aliquid difficultatis, si quis alio loco contraxerit, alio soluere promiserit ob l. 21. D. de oblig. et act. Qua lege dicitur quisque ibi contraxisse, vbi vt solveret, se obligavit. Debet vero quisque contrahere secundum leges loci, vbi contrahit. Quod si igitur is, qui alio loco contraxit, alio ad soluendum se obligavit, ibi contraxisse fingitur, vbi se soluturum esse promisit, sequi inde videtur, in contractu ineundo leges loci, vbi solutio est praestanda, esse spectandas, non vbi negotium geritur. Sed nobis vehementer




ter placet eorum huius legis interpretatio, qui eam de foro contractus tantum agere contendunt, ita, vt huius legis haec vis sit, posse contrahentem eo loco, vbi vt solueret, se obligauit, aequè conueniri, ac in foro contractus. Quam interpretationem praecipue probare videtur laudata l. 6. D. de Euiction. Nam si quis de fundo alibi sito contraxerit, idem est, ac si, vt alio loco solueret, se obligauerit. Est igitur lex illa 21. de Obligat. et act. ita interpretanda, vt ne cum hac lege pugnet. Ex his omnibus patet, formam contractuum, quos subditi temporarii incunt, semper secundum leges civiles nostras esse diiudicandam. Idem profecto, quando de rebus mobilibus contrahunt subditi temporarii, de validitate contractuum interna eorumque effectibus dicendum est. ^{a)} Iura enim in republica certa esse debent, vt sciant ciues, quomodo valide contrahere possint, et quod ipsis ex contractibus initis sperandum sit lucrum. Nec leges, quae in subditorum temporariorum patria obtinent, vim legum extra territorium habent, quod ad res mobiles, in quas omne imperium sua natura temporarium est. Quod vti ex natura rei factis patet, ita iuris Romani constitutionibus stabilitur, v. c. l. 1. pr. D. de vsuris. Quam ob causam quae ex contractu praestandae sint vsurae, quae valide promitti possint, quando debitor in mora sit, et aliae eiusmodi causae semper ex legibus nostris, si subditus temporarius apud nos contraxerit, debent expediri. Porro ex contractu a subdito temporario de rebus, quae in eius patria extra commercium sunt, inito etiam in eius patria actio datur, et quamquam res ipsa praestari lege impediende non possit, tamen ad id, quod interest, praestandum reus tenetur. Alia est ratio, si conuentum sit, vt res tradatur alio loco eoque, in quem conuenere pacifentes,

^{a)} HERTIVS de collisione Legum §. 5. SANDE Decif. Lib. I. T. XII. Def. 5.



tes, loco, harum rerum commercium non sit. Tunc enim de re impossibili videntur pacti esse contrahentes, et nulla ex hoc contractu datur actio, nisi conditio causa data causa non sequuta. Sed ne haec ciuium contra leges patrias extra patriae fines contrahendi libertas omnem legum de his causis latorum vim tollat, omnes sane contractus inter eiusdem ciuitatis ciues contra leges patrias alibi initi post eorum in patriam reditum merito sunt rescindendi, siquidem in hos rationes, ob quas subditi temporarii contrahentes legibus ciuilibus tenentur, non cadunt. His omnibus nonnulla de quaestione illa maxime controuersa, quo tempore actiones ex contractu alieno in territorio inito ortae praescribantur? addenda sunt. Species, de qua disputamus, haec est: Subditus temporarius actionem contra ciuem nostrum e contractu extra territorium inito instituit. Actio secundum leges nostras praescripta censetur, secundum leges loci, vbi contractum est, non item. Dubitatur igitur, vtrum ex legibus nostris, an ex legibus loci, vbi contractus est initus, iudicandum sit? Actio enim oritur ex contractu, contractus vero et omne id, quod ex eo fluit, ex legibus loci, vbi contractum est, debet diiudicari. b) Quae ratio hoc magis nos mouet, vt subditum temporarium in hac de actionum praescriptione causa legibus nostris solum esse putemus, quo iniquius nobis videtur peregrinum, in quem neque cum contrahebatur, neque cum tempus praescriptionis currebat, imperium principi nostro fuit, poenam negligentiae, cuius causa omnis est inuenta praescriptio, dare. Res vero, quas subditi temporarii in territorium nostrum transfulere eoque prin-

b) vid. COCCEN *Diff. de fundata in territorio potestate*, T. VII. §. 12.
HERTIUS *de collisione legum* §. 65. Dissentit tamen HUBER *in I. C.*
Lib. III. S. IV. C. I. §. 46.




principis nostri imperio subiecere, tempore legibus nostris definito praescribi, negaturum esse puto neminem.

§. XXX.

Inter leges priuatas insignem partem occupant eae, quae circa causas testamentarias versantur. Sunt hae leges duplicis generis. Concernunt enim vel solennitares testamentarias, quot nimirum in testamentis adhibendi sint testes, et huius generis alia, vel ipsum testandi modum, quis nempe heres scribi, de quibus bonis testari aliquis possit, et caetera. Posterioris generis leges non obligare subditos temporarios, nemo est, qui dubitet. Rationem inuenire non difficile est. Omnis enim vis legum ciuiliu in subditos temporarios salute rerumpublicarum innititur. Ciuitatis vero, vbi commorantur subditi temporarii, non interest, quomodo de bonis suis mortis causa disponant, omnium contra rerumpublicarum salus exigit, vt ne ciues sui per temporarium discessum in fraudem legum testari possint. Accedit etiam hoc, quod etiam extra patriam ciues retineant obligationes, quibus patriae obstricti sunt, ideoque, quod in bonis ipsorum leges aliis post ipsorum mortem tribuunt, ius etiam extra patriam testantes aliis adimere nequeant. ^{a)} Sed de solennitatibus, quas in testamentis condendis adhiberi leges praecipiunt, valde inter Ictos disputatur. Sunt, qui dicant, actuum solennitates semper ex legibus loci, vbi negotium geritur, esse definiendas, ideoque etiam testamentorum, quae apud nos condunt subditi temporarii, solennitates legibus nostris adstringi. ^{b)} Sed hi profecto non cogitarunt, testamenta a solis subditis temporariis condi, ciuium vero nostrorum plane non interesse, quas obseruent in testamentis
fa-

a) VATEL *Droit des gens* Lib. II. C. VIII. §. III.

b) SANDII *Decif.* Lib. I. Tit. I. HVEER *I. C. L.* III. S. IV. C. I. §. 16.
STRYCK *cauel. testam.* C. XIV. §. 1.




faciendis solennitates peregrini, testamentaque subditorum temporariorum omnem suam vim in ipsorum patria exercere. Quibus argumentis fit, ut putemus, solennitates testamentarias nostris legibus definitas a subditis temporariis observandas non esse. ^{c)} Et hanc nostram sententiam confirmat etiam iuris Romani auctoritas l. 9. C. de testam. Quamquam enim hac in lege voce patriae non locum domicilii, sed originis indicari ideoque secundum hanc legem testamentum peregrini ex legibus loci originis condi debere nonnullis placet, ^{d)} haec tamen interpretatio naturae rei parum conuenire videtur, siquidem non apparet, cur in testamentis condendis loci originis ratio habenda sit. A foro enim originis ad hanc de testamentariis solennitatibus quaestionem nulla argumentatio valet. Etsi ex singulari iuris Romani dispositione hoc inualuerit, tamen, abrogatis omnibus de foro originis similibusque iuris Romani constitutionibus, hodie huius legis usus esse non posset, et analogiae iuris conueniret, ut, quae de loco originis dicta essent, de loco domicilii interpretaremur. Laudant quidem alii l. 3. D. de praesid. offic. Qua lege praesidem prouinciae extra prouinciam priuatum esse asseritur. Vnde colligunt, prouinciae praesidem extra prouinciae suae fines statuere non potuisse, quae a ciuibus suis extra prouinciam in testamentis condendis adhibendae sint solennitates. Ut taceamus, hanc legem de praesidibus prouinciarum nominatim agere, ideoque ad Ordines Imperii Germanici (de his enim hoc loco inprimis disputatur) plane non pertinere, (§. XIV.) multaque alia, quae huic interpretationi prorsus contraria sunt, plane haec interpretatio ab huius legis vi aberrat. Agit enim haec lex

E 2

de

c) vid. THOMASIVM in not. ad Huberi I. C. l. c. SAMETIVS in *Opuscula* pag. 243. seq.


d) CUIACIVS ad Tit. C. de testamentis.



de iure coercendi crimina, vti non solum e voce imperii, quae in hac lege occurrit, sed etiam ex his verbis apparet: *Habet interdum (praefes) imperium etiam aduersus homines extraneos, si quid manu commiserint* etc. De rebus tamen mobilibus, quas secum e patria exportauit subditus temporarius, cur e moribus, vbi moritur, loci valide mortis causa disponere non possit, modo iure quaesito, v. gr. legitima, alios non priuet, non video. ^{e)} Alia vero est testamentorum publicorum ratio, in quibus condendis mores loci, vbi testantur, subditi temporarii obseruare semper tenentur, partim, quod horum testamentorum forma non tam solemnitatis, quam probationis causa legibus praescribi solet, partim, quod princeps, quem alterius principis magistratus in condendis testamentis sequantur morem, imperare nequit. Quod si igitur ciuis noster aliquo loco, vbi in testamento conficiendo actuarii praesentia non necessaria est, coram praefecto et scabinis testamentum fecerit, hoc testamentum iniustum dici non potest. De successione ab intestato autem multis differere non opus est, cum certi atque expediti iuris sit, leges successionem ab intestato definientes non cadere in subditos temporarios. ^{f)} Nam omne in subditos temporarios eorumque res imperium temporarium est, et morte eorum expirat. Neque in perpetuum aliquid in res subditorum temporarium statuere licet. Atque ratio, ob quam omne in subditos temporarios imperium est introductum, ne peregrinorum confluxu detrimentum capiat respublica, ad has de successione ab intestato causas plane non pertinet.

§. XXXI.

e) VATEL *l. c.*f) COCCEII in saepe laudata *Diff. de fundata in territ. pot. Tit. VIII.*§. 4. STRYCK de successione ab intest. *l. c.* 4. §. 2.




§. XXXI.

Veniamus nunc ad iudicia. Tria praecipue hac in re occurrunt. Primum vbi quis conuenire alium vel conueniri debeat, porro per quem quis causam suam agere possit, denique qui modus in causis agendis seruandus sit. Quisque profecto princeps in suo territorio modum causas peragendi in iudiciis definire debet, quem, quicumque ibi vel conueniatur, vel alium conueniat, tenere obligatur. Non habemus igitur, cur de hac re pluribus disputemus. Porro cum certi iuris sit, actorem sequi forum rei, dubitari nequit, peregrinos etiam, si ciues nostros conuenire voluerint, actiones suas coram iudicibus ciuium nostrorum competentibus instituire debere. Sed quid si subditus temporarius conueniendus sit? Quatuor potissimum fora sunt, domicilii, rei sitae, contractus, delicti, quibus vsu accessit quintum et sextum, arresti puta, et deprehensionis. De foro domicilii atque rei sitae hoc loco dicendum non est. Vtrumque enim non cedit in subditos temporarios vt tales. Subditos temporarios, vbi contraxerunt, vel deliquerunt, conueniri posse, extra omnem dubitationem positum est. In salutem enim rerum publicarum constitutum est, vt contra quemcunque, vbi se facto aliquis vel licito vel illicito obligauerit, agi possit. Cuius legis ratio hoc magis in subditis temporariis locum habet, quo difficilius post eorum discessum ab iis ius impetrari potest.^{a)} Cum autem omne in subditos temporarios imperium eorum discessu extingatur, nec principis extra territorium aliqua

E 3

fit


a) Imo olim in Germania iudicia singularia constituta sunt, in quibus de causis inter peregrinos et ciues cognoscebatur. Quae iudicia dicuntur *Gastgerichte*. In rationes, cur haec iudicia instituta sunt, inquirat Perillustr. KOPF *von der aeltern und neuern Verfassung der Geißl. und Civil-Gerichten in den Fürstl. Hessen-Casselschen Landen.* Th. I. §. 309. Cf. inprimis Perillustr. Aug. de BALTHASAR *diss. de iure peregrinorum singulari circa processum Germ. Gastgericht appellato Gryphsw. 1742.* 4^{to}.



fit iurisdictione, forum autem contractus atque delicti arbitrariis principum constitutionibus fit introductum, ideoque principes ciues suos reos factos in forum contractus, vel delicti remittere iure profecto non obligentur, facile intelligitur, peregrinum in patriam reducem in foro domicilii, non in foro contractus vel delicti, esse conueniendum. Quamquam enim iure Romano etiam absens in foro delicti atque contractus conueniri poterat, ^{b)} tamen hae leges non solum vsu hodierno plane sunt abolitae, sed etiam, etsi inter eiusdem reipublicae magistratus ius constituerent, tamen diuersarum rerumpublicarum principes (ad quos inprimis hoc loco referendi sunt Ordines Imperii Germanici) non obligarent. Nam hae leges magistratibus scriptae sunt, non principibus, etsi receptae essent, ita essent interpretandae, vt ad eiusdem reipublicae magistratus tantum pertinerent, §. XIV. Quod saluti etiam rerumpublicarum maxime conuenit. Quisque enim princeps debet cauere, vt ne ciues sui exterorum magistratum euocationibus vexentur. Contra peregrinos vero iura sua persequendi difficultas effecit, vt vel ipsis peregrinis, qui obligationes, quas contraxerant, non expediebant, vel eorum, quae per territorium uehebantur, rebus manus iniicerentur peregrinique hoc remedio ad causam suam agendam compellerentur. Inde forum arresti ortum est. De quo sic scribit GAILIUS: ^{c)} „Meminisse autem oportet moribus Germaniae arresta s. impedimenta, Zuschlag, in effectu nihil aliud esse, quam reales citationes, quia persona sistitur, aut eius bona impediuntur, ad illum effectum, vt arrestatus taedio ar-

b) Quamquam hoc de foro contractus rei in vniuersum dici posse videtur. vid. l. 19. §. 2. D. de iudic. de foro delicti vid. l. 7. §. vit. D. de accusat. l. vit. D. eod. l. 14. C. ad Leg. Iul. de adulter. Ob stare tamen videtur l. 1. C. vbi de crim. Vbi tamen verba: *vel reperiuntur*, antecedentia interpretari, non iis opponi videntur. Cf. HUBERI Prael. ad Tit. D. de iudic. et quae ibi notauit Thomasius.

c) In libro sing. de arrestis C. I.



„restationis affectus coram iudice loci compareat, pacta conuenta
„seruet, debitum dissoluat, aut in dubio cautionem iudicio sisti et
„iudicatum solui arrestatori praestet.“^{d)} Denique postquam
reorum remissiones necessitatis esse desierunt, accessit forum
deprehensionis ex peruulgato illo principio: ubi te depre-
hendo, ibi te iudico.

§. XXXII.

Subditos temporarios tam diu, quam diu in loco con-
tractus vel delicti commorantur, huius loci iudici esse subie-
ctos monuimus. Sed cum permulti Ordines Imperii pri-
uilegio de non euocando gaudeant, disputari solet, an pere-
grinus, qui ob contractum vel delictum causam suam agere
compellitur, se hoc de non euocando priuilegio tueri et ex-
ceptionem incompetentis fori opponere possit? Quod nu-
per LVDEWIGII^{a)} auctoritatem imprimis sequutus asse-
ruit BECKERVS,^{b)} hoc potissimum nifus argumento, quod
alias hoc de non euocando priuilegium omni vi destitueretur.
Iurisdictionem enim intra fines territorii omnibus competere
principibus Imperii, ipsorumque subditis forum prorogare
non licere. Priuilegia de non euocando etiam hodie non
omni effectu destitui facile concesserim.^{c)} Obiici quidem
posset, haec de non euocando priuilegia, etsi hodie nullam
haberent vim, eo tamen tempore, quo concessa sunt, utilissi-
ma fuisse eorumque interpretationem ex rationibus, ob quas
ea ab Imperatore impetrare principes, esse petendam. Istitis
enim temporibus, quibus iudicia in Imperio Rom. Germ.


tur-

d) Similem contra peregrinos reconuentionem instituendi modum
suppeditat O. P. R. ad tit. VI. §. 1.

a) Erlaut. der G. B. T. I. ad tit. 8. §. 1. not. x. pag. 771. et not. r.
pag. 781.

b) In Tr. de priuilegio de non euocando §. 26. et 27. Idem asserit
HERTIUS de subiect. territor. §. 9.

c) Dissentiunt tamen alii. Vid. Cel. PUTTERI Elem. I. publ. Germ.
§. 455. et Cel. SCHMAVSSII Comp. I. publ. S. R. I. lib. III. C. IV. §. 6.




turbulenta et prorogationes frequentissimae erant, nonnullique Ordines Imperii, imprimis potentiores, iudicia Caesarea prouincialia, ^{d)} imo etiam episcopi suam iurisdictionem in aliorum detrimentum latissime extendebant, eiusmodi privilegii iurisdictionem suam firmiorem reddere et ab aliorum perturbationibus liberare, permulti principes studuerunt. Sed cum hodie etiam Imperatores in Capitulationibus, ^{e)} se et in concedendis nouis privilegiis de non euocando et in tuendis iam concessis saluti Imperii prospecturos esse, promittant, ita profecto haec privilegia interpretanda sunt, ut ne omni vi destituantur. Inde vero plane non sequitur, haec privilegia etiam ad hanc de foro contractus et delicti quaestionem trahi debere. Primum enim euocationem plane non dicere potes, si cuius extra territorium versatur et ob factum, quo se obligauit, siue licitum siue illicitum conuenitur. Tandiu enim, quam diu in loco contractus vel delicti commoratur, huius loci iudici, non iudici domicilii, est subiectus. Deinde, notissimum sane est principium, interpretationem legis ex consuetudine, quam tacitam quasi ipsius legislatoris interpretationem dicere poteris, si lex ipsa parum perspicua sit, esse petendam. Cum autem usus hodiernus satis declaret, principum, qui privilegio de non euocando gaudent, subditos in foro contractus et delicti conueniri, neque de hac re conqueri Ordines Imperii, satis inde patet, hanc vim privilegio de non euocando non inesse, ut a foro contractus et delicti liberet. Nec ideo hoc privilegium plane nullum dici potest. Ut enim taceamus interpretationem eorum, qui putant, Ordinum Imperii, qui hoc privilegium de non euocando habent, subditos in iis etiam causis, quae ad

iu-

d) De quibus etiam recentioribus temporibus conquesti sunt Ordines Imp. Vid. *Cap. Franc. I. Art. XVIII. §. 8. 9. 10. et 11.*

e) Vid. *Cap. Franc. I. Art. XVIII. §. 4. et 6.*



iudicia superiora Imperii in prima (vt practici loquuntur) instantia pertinent, ad haec iudicia euocari non posse, ^{f)} quisque sane princeps, qui hoc privilegio gaudet, ne sui subditi ad iudicia Caesarea prouincialia auocentur, prohibere poterit.

§. XXXIII.


In iudiciis adhiberi solent, qui causas agunt, iuris periti. Cum autem legibus caueri soleat, ne aduocati in iudiciis admittantur, nisi qui in numerum aduocatorum legitime sunt recepti, dubium sane videtur, an aduocatus, qui a principe alieno causas agendi facultatem accepit, in nostris iudiciis admittendus sit? Mihi quidem is admittendus esse non videtur, partim quod, quam a principe suo aduocatus accepit, causas agendi facultas extra principis territorium vim suam exserere nequeat, partim quod harum legum, quibus, qui causas in iudiciis agere possunt, qui non, definitur, non solum haec ratio sit, ne imperitorum aduocatorum ignorantia causis suis cadant bonisque exuantur ciues, sed etiam, ne aduocati ordinarii ab aliis lucro, quod ipsis ex causis agendis sperandum est, defraudentur. Quamobrem etiam peregrinus, ne aduocato suae ciuitatis in iudiciis nostris vtatur, recte prohibetur.

§. XXXIV.

Vltimo loco nobis pauca de vi legum criminalium in subditos temporarios addenda sunt. Legibus criminalibus etiam subditos temporarios obligari hoc certius est, quo magis et imperio, quod in peregrinos competit, temporario conuenit, vt a factis reipublicae, in qua versantur, noxiis ar-

ce-


f) Vid. I. I. MOSER *Grund-Riss der heutigen Staats-Verf. des Teutschen R.* lib. III. C. VI. §. 18.



ceantur, et reipublicae salus exigit, vt ne peregrini criminibus eam turbent, §. II. ^a) Cauendum tamen est, ne summum ius in summam iniuriam abeat. Crimina duplicis generis sunt. Vnum ea complectitur, quae sua natura crimina sunt, et vbiq; poenis coercentur, vti homicidium, adulterium, furtum; alterum ex arbitrariis principum constitutionibus pendet, et in diuersis ciuitatibus diuersa crimina continet. Sic, qui certas legibus definitas merces aduehunt, quibusdam in locis graui poena adficiuntur, in aliis non item. Quod si igitur prioris generis crimen commiserit subditus temporarius, eum poenam legibus constitutam incurrere, dubitari nequit. Legum enim ignorantia non excusatur. Nec si in eius patria mitiori poena idem crimen coerceatur, quam in ea, vbi id commisit, republica, hanc ob causam poenam grauiorem vitabit. Nam ex poenis legum obligatio non oritur, sed earum auctoritas tantum sustinetur. Solent tamen humanae naturae imbecillitati hac in re aliquid indulgere mites atque indulgentes principes. Posterioris generis criminum plane alia est ratio. Nam vbi eiusmodi criminis reus factus subditus temporarius legum harum ignorantia, certe probabili, se defendere possit, vel plane a poena liberandus vel arbitraria eaque leuissima est adficiendus. Quod in singulis causis e rationum diuersitate definiendum debet, §. XVIII. Quid autem, si in hoc territorio delictum inchoatum, in alio perfectum sit? Ibi, vt hoc vtar, bellum priuatum indictum, alibi commissum est. Vtriusque principis poenae obnoxius erit reus pro diuersitate, quod in vnus cuiusque principis territorio admisit, criminis. ^b) Ab hoc ob commissum, ab illo ob attentatum delictum punietur. Nec poena prior posteriori secundum ius strictum tollet, (nam princeps alteri prin-

^a) VATTEL *Droit des gens* Lib. IV. §. 92.

^b) COCCENI *in Diss. de fundata in territ. potest.* T. VI. §. 4.



principi ius puniendi adimere nequit) nisi, quam primam reus subiit, poena posteriorem sua natura tollat, vt capitalis. Quo alteri principi nulla sane inferitur iniuria. Qui enim suo iure vtitur, in alterum non iniurius est. Aequitatis vero etiam in eiusmodi causis rationem habendam esse, quisque videt.


§. XXXV.

Sed quando, qui crimen aliquod commiserit, subditi temporarii in patriam reduces ibi iudicantur, (§. XXXI.) duae inprimis hoc loco occurrunt dubitationes. Prima, ex quibus legibus iudicandus sit reus? altera, vbi et a quo sit puniendus? Criminis reus punitur, quod contra leges, quibus obligabatur, peccauit, eaque debet adfici poena, quam princeps, qui legibus vim atque auctoritatem dedit, legum suarum violatoribus proposuit. Poenarum vero potissimum hic finis est, vt et is, qui deliquit, et alii poenarum metu a delictis deterreantur. Quando igitur subditus temporarius contra leges aliquid admisit, poenam subire debet eam, quam princeps, contra cuius leges peccauit, statuit, atque, vbicumque locorum iudicetur, ex ipsius legibus iudicandus est.^{a)} Quod autem poenis etiam alii a delictis retineri debent, debet sane secundum ius strictum criminis conuictus in ea puniri ciuitate, in qua crimen commisit. Eo tamen non efficitur, vt princeps ciues suos, qui alibi deliquerunt, eo remittere iure perfecto teneatur, quamquam, vt hoc faciat, et, quae inter principes intercedere debet, humanitas et humani generis felicitatem promouendi studium vehementer suadeat. Secundum ius naturale enim, quo solo inter se vtantur principes, quisque quidem cogi potest, ne alterum, quo minus ius suum perfequatur, impediat, non vero,

F 2

vt

a) COCCEII l. c. §. 3.



vt alteri ius suum consequendi subsidia suppediret. Non debet igitur princeps ciuem suum criminis alibi commissi conuictum fouere, tueri, retinere alterique principi ius eum puniendi denegare, ^{b)} sed vel eum remittere, vel, vt eum princeps, cui ius puniendi competit, in ciuitatem suam reduci curet, pati, vel eum e patria expellere tenetur. Solent tamen hodie quam saepissime maleuoli vel eo puniri loco, quo deprehensi atque iudicati sunt, ^{c)} vel deprehensi statim in forum delicti remitti.

Haec de vi legum ciuilium in subditos temporarios dixisse sufficiat. In quibus si necessaria omissa, parum graua exposita, alia vero parum eleganter atque accurate dicta esse animaduertent lectores, et a quo et quare haec scripta sint, cogitent. Nos in his conscribendis operam nostram collocasse non poenitebit, si ea doctis atque beneuolis lectoribus non omnino displiceant.

b) VATTEL *Droit des gens* Lib. II. C. VI. §. 74. seq.

c) Mite atque indulgens seculi nostri ingenium effecit, vt si poena eo, vbi accusatus est reus, loco mitior obtineat, quam vbi delictum est commissum, haec potius spectari soleat. Sic respondit Illustris Facultas Lipsiensis Serenissimo Duci Mecklenburgico anno 1767. Vid. Viri Cel. HOMMELII *Rhapsod.* Obf. 281. pag. 366. edit. nov.

ADDENDA.


P. 12. *lin.* 23. *pro vt lege ne.*

P. 28. *lin.* 15. *pro aestimandum lege aestimandas,*

P. 38. *not.* b. *lin.* 1. *pro rei lege non.*



CONSPE.



CONSPECTVS.

Instituti ratio redditur in Prooemio.

Omne in subditos temporarios imperium ex pacto tacito oriri, huiusque pacti fundamentum salutem rerumpublicarum esse demonstratur §. I. et II.

Argumentum pro voluntaria subiectione peregrinorum ex ipsa humana natura petitur. §. III.

Si tamen peregrini, qui tacite se imperio principis non subiecerunt, pro subditis temporariis habendi non sunt. §. IV.


Quam ob causam subditi temporarii non sunt

- 1) *hostes, §. IV.*
- 2) *captiui, ibid.*
- 3) *obsides, ibid.*
- 4) *legati, §. V. VI. VII. VIII. et X.*
- 5) *legatorum comites, §. IX. et X.*
- 6) *principes peregrini, §. XI. et XII.*
- 7) *comites principum. ibid.*

Qui sint subditi temporarii, accuratius definitur. Subditi temporarii legibus civilibus tenentur, sed variis difficultatibus hac de vi legum civilium in subditos temporarios disquisitio implicata est. Quam ob causam ante omnia nonnullae regulae suppeditandae sunt, ex quibus quaestiones hac in re occurrentes expediri possunt. §. XIII. et XIV.


Hae regulae exhibentur. §. XV. XVI. XVII. et XVIII.

Leges civiles sunt vel civiles stricte sic dictae vel criminales. Leges civiles stricte sic dictae sunt vel publicae vel priuatae. Sigillatim itaque agendum est de legum I. publicarum, II. priuatarum, III. denique criminalium vi in subditos temporarios. §. XIX.



- I. De vi legum publicarum in subditos temporarios.**
- 1) De vectigalibus. §. XX.
 - 2) De tributis. §. XXI. et XXII.
 - 3) De iure stapulae. §. XXIII.
 - 4) De legibus, quibus, ne certae merces vel exportentur vel aduehantur, cauetur. §. XXIV.
 - 5) De legibus, quae ad politiam pertinent. §. XXV.
 - 6) De legibus, quae religionem concernunt, imprimis de legibus matrimonialibus. §. XXVI. et XXVII.
- II. De vi legum priuatarum in subditos temporarios.**
- 1) De iure personarum, quod complectitur
 - a) certas qualitates personis legibus impressas. §. XXVIII.
 - b) certa siue commoda siue incommoda cum hisce qualitatibus coniuncta. *ibid.*
 - 2) De iure rerum.
 - a) De contractibus. §. XXIX.
 - b) De praescriptionibus. *ibid.*
 - c) De causis testamentariis. §. XXX.
 - d) De successione ab intestato. *ibid.*
 - 3) De iudiciis.
 - a) De forma iudiciorum. §. XXXI.
 - b) De foris, praecipue in Germania, *ibid.* et §. XXXII.
 - c) De iis, per quos quis causam suam agere potest. §. XXXIII.
- III. De vi legum criminalium in subditos temporarios.**
- 1) in uniuersum, §. XXXIV.
 - 2) pro diuersitate, quae committunt subditi temporarii, criminum. *ibid.*
 - 3) pro diuersitate locorum, ubi deprehenduntur scelerati. §. XXXV.

NOBI



NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO
AVCTORI AC DEFENSORI

S. P. D.

P R A E S E S.

Quam mihi perlustrandam tradideras, doctam
et elegantem dissertationem TIBI, VIR
NOBILISSIME, manu mea haud
interpolatam et, ne literula quidem per me mutata aut
eiecta, plane integram reddere me potuisse, laetor vehe-
menter. Quamquam enim iam antea cognoueram, ma-
gnum in TE esse bonarum literarum atque iurisscientiae
studium magnamque ingenii pariter ac iudicii vim, adeo,
ut non nisi pulcherrima specimina abs TE expectare pos-
sem, fateor tamen, TE hanc meam spem multum super-
asse. Non solum enim sumisti TIBI argumentum tra-
ctandum haud vulgare, quod, et si utilitatis laudem inpri-
mis prae se ferat, tamen multis premitur difficultatibus,
sed



sed etiam, quod maius est, tanta cum cura illud exposuisti, ut quilibet rerum peritus facile intelligat, TE non exigua recte philosophandi facultate instructum Themidis sacra coluisse. Gratulor igitur Excellentissimo atque Consultissimo PARENTI filium optinae spei, patriae vero doctum atque utilem ciuem ex animo. Me autem, quem socium literarii certaminis TIBI adsciscere voluisti, ut impostertum quoque eo amore prosequaris, quem me hactenus abs TE expertum esse gaudeo, in votis habeo. Vale resque TVAS age feliciter.



ULB Halle
005 361 834

3







18

g. 70. num. 32
1772, 35.

DISSERTATIO
DE
VI LEGVM CIVILIVM IN
SVBDITOS TEMPORARIOS

QVAM
ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS
AVCTORITATE
P R A E S I D E

P. 163.

D. AVGVSTO FRIDERICO SCHOTT

ANTIQVIT. IVR. PROF. PVBL. ET COLLEG. MINOR.
PRINC. SODALI,

H. L. Q. C.

DIE VII. MAII. A. O. R. CIOCCCLXXII

DEFENDET

A V C T O R

CAROLVS FRANCISCVS BOESCHEN

MERSEBYRGENSIS

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA

